DE

NUCE VOMICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHARMACODYNAMICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE II. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS WLADIM. RADZIBOR

CURONUS.

OPPONENTIBUS:

G. MURRMANN, MED. ET CHIR. DR.
A. OCHWADT, MED. ET CHIR. DD.
W. MUELLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

§. 1.

Nuces vomicae nascuntur in arbore quadam humili, crassa et tuberosa, in insula Ceylone atque ora Malabarica indigena. Haec a Linnaeo Strychnos nux vomica vocata et illi regni vegetabilis classi, quae Pentandria Monogynia inscribitur, adnumerata est. Secundum systema naturale ad familiam Apocynearum Juss. sive Strychnearum De C. pertinet. Fructus ejus est bacca subrotunda, ovalis, magnitudine et colore pomi Aurantii, testa glabra, dura, fragili. Cujus in pulpa candida, gelatinosa, octo vel decem inveniuntur semina, orbiculata, depressa, umbonata, subflava vel cinerea, quae propter duritiem corneam difficulter in pulverem rediguntur. Ex his ea, quae subflavo colore maximique ponderis sunt, optima habentur. Odorem edunt peculiarem, balsamicum, saporem amarissimum, persi-

stentem, quo etiam ceterae arboris partes excellunt (1).

§. 2.

Pelletier et Caventou (2) nuperrime nos docuerunt, quibus in elementis nucis vomicae efficacia posita sit, quemadmodum multorum aliorum medicaminum compositio eorum assiduitate cognita est. Quum enim fabam Sti. Ignatii, quem accuratissime investigassent, magnam compositionis similitudinem inter eam atque nucem vomicam esse conjecerunt, id quod jam Pfaffius contenderat (3). Itaque quum ad nucem vomicam perquirendam simili methodo usi essent, permagnam elementorum analogiam invenerunt; modo quantitatis discrimen locum habuit.

Nuces enim vomicae minorem salis illius Strychnini copiam continent, majorem autem olei partem atque pigmenti subflavi. Praeter Strychninum etiam alkaloideum illud, in cortice Angusturae spuriae (Bruceae ferruginosae) detectum, quod Brucinum vocarunt, repererunt, unde conjecturam assequi potuerunt, hunc quoque corticem e quadam Strychni specie obtineri.

---

(1) F. Ph. Dulk, Pharmacopoea borussica. Vol. I. pag. 744.

(2) Annales de chimie et de physique. Trommsdorffs Journal — variis locis.

(3) Pfaff, materia medica, vol. II. pag. 91—96.

Strychninum igitur, quod crystallisatione e solutione spirituosa paratur, odorem quidem nullum, saporem autem amarissimum et fere intolerabilem praebet; in eo summa nucum vomicarum vis quasi concentrata videtur. Reactionem praestat alkalinam, et cum acidis conjunctum salia efficit. Aqua difficulter solvitur, facillime spiritu vini rectificatissimo atque oleis volatilibus; aether et pinguia olea modo pauxillum ejus excipiunt.

Brucinum, alterum alkaloideum, quod cum Strychnino eandem alere videtur rationem, quam Cinchoninum cum Chinino (1), eandem fere ostendit reactionem chemicam; aqua autem facilius solvitur, cum acidis connubia init minus arcta, minorique vi pollere videtur.

Tertium nucis vomicae principium, quod acidum Igasuricum nominatur (nimirum a faba Sti. Ignatii, in qua primum est inventum), cum Strychnino atque Brucino conjunctum occurrit; crystallis effingi potest, saporem habet acidum et austerum, aqua et spiritu vini facillime solvitur.

Denique nux vomica praeter elementa jamjam commemorata materiam extractivam, oleum fixum, gummi, ceram, amylum et saccharum mucilaginosum continet, quae autem, quum minoris

---

(1) F. Ph. Dulk, Pharm. boruss. Vol. II. p. 785.

momenti sint, quod ad ejus efficaciam, silentio praetereamus.

§. 3.

Priusquam ad nucis vomicae vim accuratius considerandam accedamus, liceat de remediis narcoticis in universum nonnulla apponere, quum etiam nuces vomicae a plerisque narcoticorum classi adnumerentur. Maxima sane de his opinionum dissensio inter doctissimos quosque viget, et vix contendere ausim, hoc sententiarum certamen jamjam plane esse compositum. Experimenta quoque permulta sunt instituta, quae ad medicaminum narcoticorum vim illustrandam non parum contulerunt.

Magnus est scriptorum numerus tum veteriorum tum recentiorum (e quibus hoc loco Ill. G. A. Richter (1) et Vogt (2) appellare placet), qui, omnem narcoticorum vim in nervorum affectione ponentes, etiam symptomata illa graviora, veneficio narcotico inducta, non nisi ad nervorum perceptionem referenda esse contenderunt. Quam sententiam hi imprimis eo confirmari existimarunt, quod nucis vomicae vis in iis partibus celerrime et facillime sentiatur, quae plu-

---

(1) G. A. Richter, ausführliche Arzneimittellehre. Berol. 1807. Vol. II, pag. 705.

(2) Vogt, Pharmakodynamik. Vol. I, 1. pag. 104.

rimis nervis praeditae sint, qui et ipsi veneno narcotico infici possint. Quamvis autem huic sententiae indulgeant, tamen concedunt, fieri posse, ut narcotica multo majorem et celeriorem vim ostendant, dummodo sanguini ipsi admisceantur, id quod admiratione dignum non sit, quum alia quoque medicamina similiter se habeant, si tali modo diluantur et expandantur, atque adeo ad tenuissima nervorum fila quasi deducantur. Gravissimum novissimis temporibus Brachet et Dupuy afferre videbantur argumentum ad sententiam istam probandam, quippe qui, nervo vago in utroque corporis latere dissecto, nullam amplius venenationem ex ventriculo per reliquas partes diffundi posse judicarent. Attamen Jo. Mueller (1) hanc opinionem experimentis et observationibus suis plane refutavit, quum narcotica, in ventriculum ingesta, narcosin provocare viderit, nervo vago vel integro vel dissecto.

Quum vero alii etiam physiologi ad hanc rem animum applicuerint, sententia illa, supra exposita, magis magisque est relicta, ita ut plerique nostris temporibus censeant, narcotica modo per systema vasorum sanguiferorum et lymphaticorum, minime per consensum nervorum propagari. Jam vero praecipuas causas et experi-

(1) Joh. Müller, Handbuch der Physiologie des Menschen. Vol. I, 2. pag. 610.

menta, quibus haec sententia nititur, hoc loco afferre operae pretium erit.

Fontana (1) primus fuit, qui experimentis confirmare studuit, vim medicaminum narcoticorum a resorptione vasorum pendere, neque narcoseos symptomata provocari posse, nisi sanguis ipse principio narcotico inficiatur. Quod si ad nervos solos applicetur, in hos quoque vim exserere localem, nunquam universalem. Etiam Brodie (2) ad hanc sententiam probandam experimenta fecit. Plexu axillari cuniculi cujusdam dissecto, veneno quodam acerrimo, quod Woorara vocatur, vulnus imbuit, et paulo post omnia veneficii phaenomena apparere vidit. Contra quum femur totum praeter nervos ligatura circumdedisset, atque virus Woorara in vulnus injecisset, plane nullum veneficii vestigium animadvertit. Quum vero ligaturam solvisset, confestim venenationis symptomata exstiterunt. Wedemeyer (3) de acido hydrocyanico experimenta instituit, et plane eundem obtinuit eventum. Nec minus alii autores, quos singulatim

---

(1) Fontana, Abhandlung über Viperngift u. s. w. A. d. Franz. Berl. 1787.

(2) Brodie, philosophical Transact. 1811, pag. 178. 1812, p. 107.

(3) Wedemeyer, physiologische Untersuchungen über das Nervensystem in der Respiration. Hannover 1817, pag. 234.

memorare longum est, experimentis suis nixi, sententiae a Fontana primum propositae omnino suffragati sunt.

Novissimis temporibus etiam Jo. Mueller (1) de eadem re experimenta fecit, quae paucis commemorare liceat, quum ad quaestionem nostram dirimendam maximi sint momenti. Femore ranae ita dissecto, ut solum os et nervi integri manerent, Morphii acetici solutione vulnus imbuit, id quod per satis longum temporis spatium perfecit. Nec tamen ullum veneficii vestigium animadvertere potuit; imo ranae truncus non solum sentiendi vim integerrimam ostendit, sed etiam facillime se movere potuit.

His igitur experimentis a viris celeberrimis eodem eventu factis, extra omnem dubitationem positum est, principium narcoticum non nervis, sed vasis sanguiferis et lymphaticis excipi. Secundariam autem narcoticorum vim nonnisi nervis ipsis propagari, facile probari potest, si v. c. Strychninum animali cuidam instillaveris, et, convulsionibus jamjam exortis, nervos femoris vel brachii alterius dissecueris, confestim hac in parte convulsiones desinunt.

At vero Jo. Mueller (2) alio experimento ingeniosissimo ostendit, nucis vomicae vim im-

(1) Müller l. c. p. 611.
(2) l. c. p. 612.

primis ad medullam spinalem spectare, et per vasa ad hanc propagari. Omnibus musculis vasisque in altero ranae femore dissectis, ita ut os solum et nervi integri manerent, nucis vomicae aliquantulum ori ranae instillavit, paulò post tanta veneficii symptomata exstiterunt, ut rana, vel levissime tacta, convulsionibus corriperetur. Quin etiam musculi antea dissecti harum convulsionum non expertes fuerunt. Atque adeo femur illud, cujus vasa sanguifera ligatura circumdata erant, diutius convellebatur, quam alterum, quod statu integro gaudebat.

E quibus igitur apparet, viros illustrissimos Vogt et Richter magnopere errasse, quum sententiam suam experimento quodam, a Cel. Magendie et Desportes instituto, confirmare conarentur. Quum enim medulla spinalis animali cuidam esset deleta, et circulatio sanguinis artificialis effecta, nulla veneficii symptomata nucis vomicae applicationem secuta sunt. Hoc autem neminem offendere potest; quomodo enim convulsiones oriri potuerunt, medulla spinali deleta, ex qua omnes nervi ad truncum missi exeunt?

Attamen etiam alia experimenta istorum sententiae opponi possunt. Quodsi enim nervum quendam a ceteris partibus sejunxeris, eumque solutione extracti nucis vomicae spirituosi vel Strychnini imbueris, nulla affectio universalis

conspicitur, sed modo hujus nervi sensibilitas frangitur et plane tollitur. Stimulo enim quodam supra locum affectum applicato, nulla musculorum contractio efficitur; irritationem autem in partibus inferioribus musculorum convulsiones sequuntur. Porro, si nervus quidam sensitivus infra locum affectum irritatur, nullum perceptionis vel doloris vestigium apparet. Jo. Mueller etiam Strychninum in pulverem redactum medullae spinali humidae adspersit, nullas autem convulsiones vidit, nisi vasis sanguiferis esset exceptum.

Hinc sequitur, nucem vomicam nonnisi sanguinis mixtione mutata medullam spinalem afficere, et tum demum ejus vim ad nervos propagari. Simulac medulla spinalis veneno est infecta, primum convulsiones oriuntur, quas paralysis sequitur; si autem nervus quidam ipse narcotico imbuitur, convulsiones nunquam oriuntur, sed modo sensibilitas nervi extemplo tollitur.

§. 4.

Si omnia complectimur, quae in paragrapho superiore exposita sunt, nucis vomicae vis in systema vasorum sanguiferorum fere nihil agere videtur, quum fere nulla vasorum reactio (i. e. pulsus mutatio etc.) ejus applicationem sequatur; sed vasa sanguifera solum conductores (ut ita dicam) sunt, quibus virus narcoticum ad medul-

lam spinalem propellitur. Hanc rem ita se habere, Jo. Mueller experimentis suis supra laudatis demonstravit. Contra narcotica, quae proprie ita vocari solent, quodammodo aliam habent efficaciam, id quod alio loco exponere conabor.

§. 5.

Sunt vero, qui propter eximiam celeritatem, qua nux vomica, vixdum in ventriculum ingesta, convulsiones provocat, negaverint, fieri posse, ut ejus vis per vasa sanguifera sola propagetur. At revera, si experimenta, a Cl. Hering instituta, respicimus (quibus temporis spatium, quo circulatio sanguinis peragitur, definitur), intelligi quidem non potest, quomodo per vasa tam celeriter possit propagari. Attamen, rem ita se habere, experientia docet. Quis enim est, qui nesciat, acidum hydrocyanicum, in ventriculum animalis cujusdam ingestum, quasi subitaneam mortem afferre? Verum, si animal hoc modo interfectum statim secaveris, sanguinem acidum hydrocyanicum redolentem, ejusque indolem chemicam mutatam invenies. Quomodo hoc factum sit uno temporis momento, vix quisquam explicare, ne dicam demonstrare, poterit. Verisimile quidem est, acidum hydrocyanicum aeque ac remedia similia (v. c. nucem vomicam) principium quoddam volatile continere, quod intra vasa ce-

lerius propagetur, quam sola circulatione sanguinis fieri possit.

§. 6.

Quantae autem cognitionis nostrae lacunae supplendae sint, jam experimentis, a Fontana de viperarum veneno factis, intelligimus. Is enim veneno viperarum in venam animalis cujusdam injecto, sanguinem coagulari observavit; contra sanguis per phlebotomiam amissus, viro viperarum admixto neutiquam coagulabat, imo solutus manebat. Hunc eventum soli aëri atmosphaerico deberi, nemo contendere potest, quum certo sciamus, sanguinis coagulationem aëre atmosphaerico adjuvari. Hinc apparet, ad coagulationem sanguinis, quae veneno viperarum intra corpus efficitur, explicandam nos ad nervos confugere oportere, qui omnino maximi momenti sunt ad sanguinem propellendum ejusque functiones integras servandas.

§. 7.

Quum res ita se habeat, de nuce vomica etiam quaerendum est, utrum ejus vim solum sanguinis circulatione propagari censeamus, an etiam nervi ad eam sustentandam conferant? Hoc autem summo jure etiam de plurimis aliis medicaminibus aeque ac de nutrimentis judicari potest, quum nervi sine dubio omnibus functionibus physiologicis praesint. Omnia enim remedia, uti

L. W. Sachs (1) praeceptor meus summe venerandus, luculenter exposuit, nullo alio modo affectum quendam provocare possunt, nisi ab organismo ipso vi quadam vitali excipiantur. Hoc autem, uti patet, ita tantum fieri potest, ut materia ingesta ipsa solvatur, quia modo fluida corpus penetrare atque chemicam quandam reactionem praestare potest. Ad hanc mutationem provocandam non omnia organa eodem modo idonea sunt, sed prae ceteris ea, quae potissimum ad cibos concoquendos destinata sunt; minori autem gradu etiam aliud quodque organon hujus functionis particeps est, ita ut facile intelligi possit, omnibus corporis partibus et nutrimenta et remedia posse excipi, quum aliae magis aliae minus idoneae sint ad ea absorbenda.

§. 8.

Jam vero si quaeritur, unde effectus medicaminum et specifica eorum vis vel celeritas efficaciae pendeat, haud dubie respondendum est, hoc qualitate materiae ingestae, statu vitali corporis totius et organorum singulorum atque specifica affinitate effici, quae nonnisi observationibus accuratissimis potest inveniri. Proprie igitur non potest discerni, utrum remedium aliquod vasis sanguiferis, an nervis ipsis excipiatur. Con-

(1) Sachs und Dulk: Handwörterbuch der praktischen Arzneimittellehre. Vol. II, 2. pag. 795.

cedendum quidem est, plurima medicamina, postquam intra organismum vario modo mutata sunt, tandem sanguinem ipsum intrare, et hac ratione effectum quendam in corpore producere (nisi forte ad singulares quosdam nervos tantum spectent); attamen non potest contendi, vasa sola vel nervos prae ceteris dicatos esse remediis excipiendis. Imo confitendum est, vasa atque nervos ipsos medicaminibus affici eorumque conductores esse.

§. 9.

Itaque etiam de nuce vomica plane aliam sententiam ferre necesse est, si ea, quae in paragraphis superioribus exposuimus, respicere velimus. Neque enim licet contendere, ejus vim solum ad vasa sanguifera spectare, quamquam etiam ex iis partibus, quae per sola vasa cum toto corpore conjunctae erant, per aliud corpus propagari possit, uti experimentis didicimus. Quis autem est, qui dubitet, quin sanguinis circulatione medicaminum effectus possit diffundi? Neque vero majore jure existimare possumus, nucem vomicam modo ad nervos ipsos spectare, etiamsi experientia docuerit, hoc medicamine in ventriculum largius ingesto effectum provocari, priusquam substantia soluta et per vasa dissipata sit. Quomodo enim fieri posset, ut nux vomica symptomata gravissima provocarent, si nihil plane

mutata in ventriculo servaretur? Et si vel minima ejus particula soluta est, tamen non amplius contendi poterit, in nervos solos ejus vim agere, etiamsi in his prae ceteris conspiciatur.

Haec fere sunt, quae Ill. Sachs exposuit, quibus summo jure me quoque assentiri posse existimo, quum illa et cum experimentis physiologicis et cum medicinae practicae axiomatis plane congruant.

§. 10.

Nux vomica non venenis sed medicaminibus est adnumeranda; quamquam autores quidam, Murray(1), F. Hoffmann(2), Consbruch(3) eam veneno magis interponendam censeant. Nihil quidem difficilius est, quam venenorum naturam verbis definire, id quod jam ex eo apparet, quod veteres voce *τὸ φάρμακον* et venena et medicamina significarunt. Quamquam autem nondum cuiquam contigit, ut plane aptam venenorum definitionem ederet, tamen medico practico nihil majoris momenti esse potest. Ac mihi quidem definitio, a Cel. Sachs (4) proposita, aptis-

---

(1) Murray: Apparat. medicam. Tom. I, p. 709.

(2) F. Hoffmann: Medicina systemat. ration. Tom. II, pag. 285.

(3) Consbruch: Taschenbuch der Arzneimittellehre 1814, pag. 386.

(4) Sachs und Dulk, Handwörterbuch der prakt. Arzneimittellehre. Vol. I. Einleitung p. XXIII.

sima esse videtur. Is vero eas modo substantias venenis adnumerandas esse existimat, quae sensibilitatem et irribilitatem eodem modo debilitent, atque adeo, si majore dosi adhibeantur, evertant. Tales igitur substantiae rarissime ac cautissime in morbis adhibendae sunt, et medicum quam maxime cavere oportet, ne in iis usurpandis temporis vel dosium modum excedat.

Si vero nucem vomicam respicimus, negari quidem non potest, eam pariter ac multa alia medicamenta fortiora effectum perniciosissimum exserere posse, si ultra modum et improvide adhibeatur. Attamen sensibilitatem et irritabilitatem non eodem modo afficit, neque effectum tam perniciosum provocat, quem acidi hydrocyanici vel arsenici esse, plus semel observatum est, etiam dosibus minimis per longum temporis spatium adhibeantur.

§. 11.

Si nux vomica parva dosi in corpus ingeritur, initio fere nullus effectus observatur; si vero ejus usus per aliquod tempus continuatur, organa digestionis debilitantur; appetentia ciborum minuitur, ructus et vomituritiones existunt, simul transpiratio cutanea, excretio urinae atque secretio membranarum mucosarum augentur.

§. 12.

Si majors doses adhibentur, phaenomena

multo graviora subsequuntur, quibus organa vegetativa quam maxime affecta esse, apparet: languor artuum, demissio animi, sensibilitas aucta, fastidium eorum, quae antea grata fuerunt, frequens caloris et frigoris vicissitudo, inquies, anxietas, caput obnubilatum, grave, fastidium ciborum, nausea, vomituritio etc. Sunt, qui aegrotos etiam sensum quendam asperum et urentem ventriculi et oesophagi percipere atque siti insatiabili vexari scripserint, haec autem symptomata apud plurimos desiderantur. Omnia haec symptomata interdum ita augentur, ut debilitas musculorum in tremorem atque in convulsiones transeat, quae affectionibus externis augeri solent. Facies hominis pallida, collapsa, flaccida, pulsus initio acceleratus et parvus, postea retardatus, debilis, interdum intermittens (pulsus abdominalis); respiratio tarda, minime tamen dolorifica.

Si dosis medicaminis ingesta modum non excessit, post quatuor vel duodecim horas alia symptomatum caterva cernitur, quae L. W. Sachs non pro medicaminis effectu, sed pro reactionis signis habenda esse censet. Fere omnes secretiones et excretiones auctae sunt, imprimis sudor universalis prorumpit, quem interdum efflorescentiae exanthematicae comitantur, urinae excretio admodum intensa pariter ac secretio

fere omnium membranarum mucosarum. Quo magis haec reactionis phaenomena conspiciuntur, eo celerius aegroti molestiis supra memoratis liberantur, atque interdum accidit, ut mala quaedam, quibus antea laborarunt (v. c. febris intermittens) ad sanitatem perducantur.

§. 13.

Longe aliter res se habet, si maximae nucis vomicae doses in corpus ingestae sunt. Omnia enim symptomata desunt, quae organa abdominis potissimum ventriculum, affecta esse testantur; contra medullam spinalem atque nervum sympathicum, praecipue ejus partem thoracicam, gravissime afflictum esse, neminem fugere potest. Truncus atque extremitates convulsionibus fortissimis corripiuntur, quae paulo post in spasmos tetanicos transeunt; imperium voluntatis, cui motus musculorum subjecti sunt, plane desideratur, respiratio debilis, languida, difficilis esse videtur, tamen sine doloribus peragitur; pulsus admodum parvus fit, facies et cutis pallida et frigida ita collabitur, ut magnam asphyxiae similitudinem praebeat. Nec tamen aegrotus animi impos fit, neque organa sensuum superiorum obnubilantur, sed usque ad mortem integra et ad sensus percipiendos idonea manent. Paroxysmi tetanici non continui sunt, sed intervalla brevia habent, in quibus magna musculorum relaxatio

et lassitudo nervorum observantur, paulo post paroxysmi graviores, remissiones breviores fiunt, quibus vires ita prosternuntur, ut propter defectum earum morbus speciem mitiorem induat. Ill. Horn (1) dicit, se in paroxysmo ipso anaesthesiam observasse, in apyrexia autem tantam hyperaesthesiam, ut tactu vel strepitu minimo tetanus revocaretur. Respiratio magis magisque debilitatur, postremo intra insultum tetanicum plane desinit. Etiam post mortem cordis palpitatio irregularis atque intestinorum motus observantur. Si vena secatur, sanguis parcus, carbogenio abundans effluit.

§. 14.

Cadavera per longum temporis spatium rigent; sectione eorum parum invenitur: cor laxum, sanguine vacuum, nullum inflammationis vestigium in tractu intestinali, vel alio quoquam organo invenitur, huc illuc maculae caeruleae, sugillationibus similes, in intestinis occurrunt. Venae multo sanguine nigro tument. Grimaud semel pontem Varolii inflammatum vidit, Magendie lienem; attamen his observationibus, quum nondum ab aliis auctoribus sunt confirmatae, non licet inniti. Orfila rectissime existimat, mortem nimia medullae spinalis irritatione induci.

---

(1) Horn's Archiv für medic. Erfahr. Vol. III. pag. 246.

Celerrime nux vomica mortem affert, si forma liquida in venas injicitur, tardius, quamvis satis celeriter, si in telam cellulosam immittitur, tardissime, si per ventriculum in totum corpus propagatur.

§. 15.

Jam si quaeritur, quibus in partibus praecipua nucis vomicae vis conspiciatur, symptomata supra memorata docent, eam ad medullam spinalem atque plexus nervorum ex hac ortos spectare, atque nervos motorios ita irritare, ut vel tetanus provocari possit, id quod detruncato etiam capite fieri, Magendie experimentis in animalibus factis docuit. Per principium amarum nux vomica etiam in systema gangliosum agit, hoc autem modo fit, si dosis mediocris adhibetur, quae non sufficit ad medullam spinalem irritandam (1). Neque vero ii recte dixisse videntur, qui nucis vomicae vim, quod ad organa digestionis pertinet, cum remediis amaris compararunt. Haec enim systema vasorum sanguiferorum multo magis incitant, nux vomica autem vim quandam alterantem ostendit.

§. 16.

Nux vomica non pro narcotico habenda est, sed pro remedio sui generis. Plurimi au-

---

(1) Sachs und Dulk l. c. Vol. II, 2, pag. 865.

ctores, qui eam narcoticis adnumerandam esse censuerunt, ad hanc sententiam ferendam adducti sunt vi ejus sedativa atque narcotica. Nec tamen vis remediorum sedativa ad naturam eorum definiendam magni momenti esse potest, quum omnia suo loco data sedare possint. Emetico ventriculus irritatus et cibis onustus sedatur; magnesia dolores et molestiae sedantur, quae acido primarum viarum provocantur, venaesectione dolor pleuriticus sedatur, similique modo ipsa alimenta sanitatem reducere atque adeo mortem afferre possunt. Quod ad narcotica pertinet, quibus ill. Sachs (1) docuit irritabilitatem systematis nervosi primitus affici, ita ut depressio sensibilitatis effectus secundarius, sedativus sit, nucem vomicam huc referre non licet. Opium enim, Belladonna, Hyoscyamus cet. sanguinis circulationem primitus incitant, magnam vim in sensibilitatem nervorum exserunt, spasmos autem tonicos non provocant; nux autem vomica fere nihil in cerebrum agit, neque sanguinis circuitum auget (initio solum pulsus paulisper acceleratur); dosi parva statum gastricum inducit, dosi magna nervos motorios admodum afficit, imo tetanum provocare potest. Deinde

(1) l. c. Vol. pag. 569.

Horn (1) sitim insatiabilem et sensum asperitatis et ariditatis in pharynge et faucibus, qui narcoticorum doses fortiores semper sequi solet, post nucis vomicae usum nunquam observavit. Neque vero ex vertigine, oculorum obfuscatione et stupore, quae nuce vomica interdum proferuntur, conjicere licet, eam ad narcotica esse referendam.

His rationibus equidem innitor ad sententiam probandam, nucem vomicam nulli remediorum classi esse adnumerandam, exceptis Strychni speciebus, quibus admodum est affinis. Multo magis remedium sui generis habenda est, cui analogon nondum est inventum.

§. 17.

Antidotum efficacissimum nucis vomicae est Opium, imo etiam Morphium (2), si ventriculus justo tempore emetico est vacuefactus. Optime Opium forma liquida adhibetur. Etiam hoc argumento nucis vomicae natura narcotica refutatur, quamquam quoque acida vegetabilia (3) in veneficio, nuce vomica inducto, bonum eventum attulerunt.

---

(1) Horn's Archiv, Vol. III. pag. 247.
(2) G. A. Richter, Arzneimittellehre. Vol. II. p. 709.
(3) Sobernheim's Handbuch der praktischen Arzneimittellehre. p. 390.

§. 18.

Indicationem generalem ad nucem vomicam adhibendam secundem ea, quae supra sunt exposita, torpor sensibilis praebet; contraindicationem generalem sensibilitas aucta, irritata. Ex iis vero, quae experientia nos docuit, concludendum est, eam imprimis ad affectiones medullae spinalis et systematis gangliosi, v. c. paresin et paralysin earum partium, quarum nervi e medulla spinali exeunt, vel etiam ad spasmos atonicos spectare. Nihil videtur valere in morbis cerebri, vel earum partium, quae ex hoc nervos accipiunt. In universum autem effectus nucis vomicae salutaris admodum incertus est, atque nondum experientia satis stabilitus.

§. 19.

Nux vomica praecipue ad paralysin omnis generis, imprimis extremitatum, vesicae urinariae, ani, sanandam ab auctoribus est commendata. Prosperrimo cum eventu nuperrime Andral (1) ea usus est in paralysi, per veneficium saturninum inducta. Contra cel. Wolff in nosocomio caritatis ad tabem dorsalem sanandam eam sine omni eventu adhibuit. Nucem vomicam in statu paralytico, encephalitide, vel myelitide, vel extravasatione adducto, nihil va-

---

(1) Andral, Clinique médicale Tom. II. p. 237—43.

lere posse, luce clarius apparet. Nihilominus, si ea uti velis, nonnisi in stadio extremo, venaesectionibus et derivantibus jam exhaustis, fieri hoc licet. Bonum eventum polliceri dicuntur commotiones electricae, contractiones involuntariae, sensus formicationis in partibus debilitatis atque sudor criticus (1).

§. 20.

In affectionibus spasmodicis, cardialgia, mania, hypochondria, hysteria, catalepsi, chorea St. Viti, epilepsia, rarius eventum prosperum praebere solet, quamvis non omnis efficaciae expers sit. Ill. Horn (1) refert, se aegrotae cuidam, quae mania pertinacissima laborabat, nucis vomicae usu levamen quoddam attulisse. Neque minus Murray (3) maniacae cuidam, quae opio frustra usa erat, nuce vomica (gr. II—III) noctem quietam conciliavit. Attamen ex observationibus doctissimorum medicorum concludendum est, nucem vomicam ad spasmodicas affectiones levandas non esse idoneam, nisi hae e functione systematis gangliosi laesa vel ex alienatione organorum chylopoeticorum pendeant.

§. 21.

Etiam in febri intermittente, diarrhoea

---

(1) Sobernheim, l. c. p. 24.
(2) Horn's Archiv. 1810. Vol. III. p. 269.
(3) Murray, apparat. medicamin. Vol. I. p. 483.

asthenica, nux vomica salutaris fuisse dicitur, in quibus Horn (1) ea magno cum eventu usus est. Ac sine dubio negari nequit, febrem intermittentem, quae fere semper cum alienatione systematis chylopoetici conjuncta est, ita sanari posse. Alii quoque medici has observationes comprobarunt.

§. 22.

Porro nux vomica ad profluvia atonica, ut diarrhoeam chronicam, pertinacem, dysenteriam (nisi inflammatoria vel gastrico-biliosa, vel magno cum tenesmo conjuncta sit) sananda a multis autoribus est commendata, magno, uti videtur, jure. Jam Murray (2) magnopere eam laudavit ad dysenteriam tollendam; nuperrime Fischer (3), Hufeland (4) et Horn vim ejus medicatricem experti atque interdum cum fructu ea usi sunt. Horn retulit, nucem vomicam quandoque plus quam opium praestitisse, imprimis vero salutarem fuisse, si cum opio conjuncta fuerit; in universum autem his in casibus opio esse postponendam.

§. 23.

Multis in aliis morbis atonicis medici quidam

---

(1) l. c. p. 262.
(2) Murray l. c. pag. 714.
(3) Fischer, Armenpraxis, pag. 298.
(4) Hufeland's Journal, vol. VI, pag. 897.

nucem vomicam experti sunt et commendarunt, et equidem in nosocomio caritatis prolapsum ani, atonia ortum, a Cel. Barez feliciter sanatum vidi. Rummel eam commendavit ad lienteriam, Maricet ad incontinentiam urinae, Handel ad gonorrhoeam secundariam tollendam, et Beat. Unger, professor Regiomontanus, magnis laudibus eam celebravit ad choleram asiaticam, imprimis ejus formam paralyticam et convulsivam, curandam. Nondum autem satis magna observationum copia exstat ad sententiam certam proponendam.

§. 24.

Prioribus temporibus nux vomica saepius adhibita est in hydrope, rheumatismo, arthritide, helminthiasi (1) aeque ac ad ulcera scorbutica et herpetica (2) inveterata curanda, et nuperrime Autenrieth (3) eam commendavit una cum Asa foetida in atrophia. Vogt (4) variis in desorganisationibus viscerum abdominalium, v. c. scirrho pylori, nuce vomica simul cum aliis remediis prospero cum eventu usus est. Multa etiam alia experimenta facta sunt circa hoc remedium in morbis diversissimis; eventus autem

(1) Murray l. c. tom. I, pag. 212.
(2) Wiel, Dissert. de usu nucis vomicae et vitrioli albi.
(3) Autenrieth, Dissert. observat.
(4) Vogt, Pharmacodynamik. Vol. I, 1, p. 261.

non semper tam certus et prosper fuit, ut ad imitationem invitare possit.

§. 25.

Quod ad praeparata nucis vomicae pertinet, pulvis, extractum spirituosum et strychninum usitatissima sunt; rarius adhibentur extractum aquosum et tinctura; ab infuso autem et decocto propter incertum eventum plane abstinendum est. L. W. Sachs (1) strychninum commendat, ubicunque in nervos spinales vim exserere placeat. Hoc enim non solum directe medullam spinalem afficit, sed etiam vegetationis (nervorum plasticorum) statum integrum servat. Si vero organa vegetativa ipsa afficere velis, multo melius est, nucis vomicae pulvere, vel extracto, vel tinctura uti.

§. 26.

Nux vomica in pulverem redacta ad dosin gr. I—VI, bis quotidie, adhibetur. Interdum etiam hanc dosin augere licet, quamquam cautissime agendum est. Vogt refert, dosin interdum ad grana quadraginta vel quinquaginta sensim sensimque esse auctam. Hoc autem nimis audacter factum esse, facile confitebitur, quicunque effectum fortissimum, minores doses secutum, ipse observavit.

---

(1) l. c. Vol. II, 2, pag. 806.

§. 27.

Extractum spirituosum, praeparatum efficacissimum et commendatione dignissimum, optime in pilulis adhibetur ad dosin gr. I—IV per diem. Extractum aquosum, eadem dosi administratum, minus efficax est, quam pulvis, quum minorem nucis vomicae partem contineat. Si tamen hoc praeparato insolentiore, uti velis, dosi multo majore, fere duplo majore opus est.

§. 28.

Strychnino, sine dubio omnium praeparatorum efficacissimo, ad duodecimam grani partem adhibito saepius symptomata periculosa provocata esse dicuntur; interdum autem granum ejus ingestum est sine ullo effectu, id quod vel qualitati ejus pravae, vel torpori aegroti imputandum est, qui in morbis paralyticis saepe observatur. In nosocomio caritatis offerebatur viris initio octava grani pars, mulieribus decima sexta, quae dosis primo vespere, post aliquot dies mane et vespere ingerebatur. Deinde dosis vespertina aucta est ad gr. $\frac{1}{4}$ vel $\frac{3}{8}$; hanc dosin augere Cel. Wolff rarissime coactus est, quum effectus fere nunquam desideraretur. Verumtamen si dosin augere placet, sine ullo periculo ad granum dimidium eam evehere licet.

§. 29.

Denique mentionem faciam tincturae nucis

vomicae, non usitatae quidem et fere obsoletae, cujus pluries per diem guttae XV—L adhiberi possunt. Magendie (1) tincturam aliam proposuit, quam e quatuor granis extracti nucis vomicae spirituosi in una uncia spiritus rectificatissimi solutis parari et guttatim adhiberi jubet.

Brucinum, quod Andral (2) in paralysi, per veneficium saturninum inducta, expertus est, fere eandem vim, quam strychninum, exserit, multo autem minori gradu, ita ut a grano dimidio ad grana quatuor sine ullo periculo adhiberi possit.

(1) Magendie, Vorschrift zur Bereitung und Reinigung einiger neuen Arzneien, pag. 7.
(2) Andral, Clinique médicale. Tom. II, p. 241.

VITA.

Ego Carolus Wladimirus Radzibor, Curonus, die XXXI. m. Januarii a. MDCCCXI Kaltenbrunni natus sum, patre optimo Henrico Ferdinando, a consiliis Consistorii, matre carissima e gente de Lauw, quos praematura morte mihi ereptos valde lugeo; confessioni evangelicae addictus sum.

Primis litterarum elementis nec non doctrinis sublimioribus a praeceptoribus privatis imbutus Regiomontium me contuli, ibique anno MDCCCXXXII. m. Julio ab Ill. Schubert, t. t. prorectore magnifico, inter cives academiae Albertinae receptus, apud Ill. Unger, facultatis medicae Decanum, nomen professus sum. Per triennium mihi tradiderunt: Ill. Herbart logicen, Ill. Rosenkranz psychologiam, Ill. Dulk chemiam experimentalem, phytochemiam, zoochemiam et pharmacologiam, Ill. Meyer botanicen, Cel. Moser physicen, Ill. de Baer zoologiam, zootomiam, splanchnologiam et neurologiam, Cel. Burdach junior osteologiam, myologiam, angiologiam artemque cadavera rite secandi, Ill. Burdach senior physiologiam; Beat. Unger chirurgiam generalem; Beat. Dietz materiam medicam, pathologiam generalem et specialem, Cel. Hayn artem obstetriciam et theoreticam et practicam, Ill. Sachs encyclopaediam medicam morborumque syphiliticorum doctrinam. Per annum dimidium clinicum medicum, cui

Beat. Dietz praefuit, policlinicum medicum duce Sachs, clinicum chirurgicum duce Dinter et clinicum obstetricium duce Hayn frequentavi.

Anno MDCCCXXXV m. Septembri Berolinum me contuli, et a rectore magnifico Steffens inter cives academicos receptus, a decano spectabili Busch albo gratiosi medicorum ordinis adscriptus sum. Per annos duos hisce scholis interfui: Ill. Rust de chirurgia speciali, Ill. Juengken de ophthalmologia, Cel. Froriep de akiurgia, Cel. Casper de morbis infantum, Ill. Mueller de anatomia pathologica. Per idem tempus exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis et obstetriciis virorum Ill. et Cel. Wolff, Barez, Kluge, Rust, Graefe, Juengken et Busch interfui.

Quibus omnibus praeceptoribus quam maxime de me meritis gratias agere, quas possum, maximas valde me juvat, semperque eorum memoriam pio gratoque animo servabo.

Jam verò tentaminibus et philosophico et medico atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Rhachitis non est morbus scrophulosus.
2. Cholera non est morbus contagiosus sed miasmaticus.
3. Dactylosmileusis amputationi digitorum praeferenda.
4. Puris resorptio per vasa lymphatica fieri non potest.
5. Nulla inflammatio chronica sine complicatione.